# MODELLI e UNO SPECCHIO
# TESTI e FONTI

*In obsequium*





S. Tomaso d' Aquino e S. Ignazio di Loyola

**J. Henchey, CSS**

**Compilatore**

# INDICE

S. Tommaso 3 - 32

Sant. Ignazio 33 – 51

## *Obsequium* in St. Thomas

# *AD OBSEQUENDUM*

**De veritate, q. 16 a. 2 arg. 2**

Praeterea, cum peccare non sit habitus, proprie loquendo, neque potentiae, sed hominis, quia actus singularium sunt; dicitur tamen aliquis habitus vel potentia peccare, secundum quod per actum alicuius habitus vel potentiae homo inducitur ad peccandum. Sed per actum synderesis homo inducitur ad peccandum quandoque: quia dicitur Ioan. XVI, vers. 2: venit hora ut omnis qui interficit vos, **arbitretur se obsequium praestare Deo**; et sic ad occisionem apostolorum aliqui inclinabantur ex hoc arbitrio quo iudicabant esse **obsequendum Deo**, quod iudicium ad synderesim certum est pertinere. Ergo synderesis peccat.

**De veritate, q. 16 a. 2 ad 2**

Ad secundum dicendum, quod quando in aliquo syllogismo conclusio falsa inducitur ex duabus propositionibus quarum una est vera et alia falsa, peccatum conclusionis non attribuitur propositioni verae, sed falsae. Et ideo in illo arbitrio quo occisores apostolorum arbitrabantur se obsequium praestare Deo, peccatum non proveniebat ex universali iudicio synderesis, **quod est Deo esse obsequendum**, sed ex falso iudicio rationis superioris, quae arbitrabatur occisionem apostolorum esse beneplacitam Deo. Et ideo non oportet concedere quod per actum synderesis ad peccandum inclinarentur.

## *OBSEQUIUM*

**Super Sent., lib. 1 q. 1 a. 1 c**.

Ex hoc possumus habere duas conclusiones. Una est, quod ista scientia imperat omnibus aliis scientiis tamquam principalis: alia est, quod ipsa utitur **in obsequium sui** omnibus aliis scientiis quasi vassallis, sicut patet in omnibus artibus ordinatis, quarum finis unius est sub fine alterius, sicut finis pigmentariae artis, qui est confectio medicinarum, ordinatur ad finem medicinae, qui est sanitas: unde medicus imperat pigmentario et utitur pigmentis ab ipso factis, ad suum finem. Ita, cum finis totius philosophiae sit infra finem theologiae, et ordinatus ad ipsum, theologia debet omnibus aliis scientiis imperare et uti his quae in eis traduntur.

**Super Sent., lib. 1 d. 17 q. 2 a. 5 c**.

Unde cessantibus actibus, manet nihilominus idem robur caritatis. Sed verum est quod per actus frequentes disponuntur omnes vires animae, et membra corporis rediguntur **in obsequium caritatis**, in quo consistit fervor, ut dictum est; et ideo ex otio tepescit caritatis fervor. Habitus autem acquisitarum virtutum, robur et firmitatem habent ex nostris operibus: unde cessantibus operibus, remittitur robur virtutis etiam in se…

**Super Sent., lib. 1 d. 47 q. 1 a. 3 s.c. 2**

Praeterea, voluntas divina est causa potentissima. Sed ad potentiam alicujus pertinet ut etiam quod contra ipsum quis facere nititur, **in ipsius obsequium cedat**. Ergo ita est de voluntate divina.

**Super Sent., lib. 1 d. 47 q. 1 a. 3 ad 3**
Actus ergo bonus quantum ad utrumque **obsequitur divinae voluntati**: quia et ipse agens in bonum eum ordinat secundum beneplacitum divinae voluntatis, et Deus ordinat ipsum per bonum consequens, scilicet praemium, quod meritis reddit: et ideo, quia ipse homo **est causa hujus obsequii**, in hoc meretur. Sed actus malus secundum id quod est ab agente, inordinatus est; sed tamen ordinatur a Deo per poenam advenientem, vel per aliquod bonum quod ex eo elicitur: et ideo malus se habet tantum passive ad hoc obsequium, et non active; sicut in littera dicitur, quod impletur de eo voluntas Dei, quam ipse non implet: et ideo **non meretur sic obsequendo**: meretur enim quis secundum actum cujus causa est.

**Super Sent., lib. 2 d. 6 q. 1 a. 4 ad 4**
Ad quartum dicendum, quod per potestatem habitam, in nullo eorum poena mitigatur; quin potius quanto sunt superiores officio, tanto etiam graviori sunt subjecti tormento: unde dicitur Sapient. 6, 7: potentes potenter tormenta patientur. Nec potestas eis datur in praemium, sed **in divinae sapientiae obsequium**.

**Super Sent., lib. 2 d. 27 q. 1 a. 4 ad 2**
Ad secundum dicendum, quod in justitia commutativa contingit quandoque quod praemium, vel id quod est loco praemii, praecedat meritum, ut patet in emptione et venditione: qui enim rem emptam prius accipit quam pretium solvat, quodammodo praemium ante meritum accipit; quod etiam magis patet in eo qui prius accipit praemium laboris sui quam laborem impendat **in obsequium alicujus**. In justitia autem distributiva hoc non potest accidere, eo quod ibi praemium redditur secundum gradum et dignitatem personae; et ideo secundum illud quod praecedit meritum, oportet quod praemium attendatur, ex quo quidam constituitur in tali dignitate…

**Super Sent., lib. 2 d. 39 q. 3 a. 1 arg. 3**
Praeterea, proprietas hujusmodi scintillae est quamdiu manet, ut malo remurmuret. Sed in haereticis nihil est quod remurmuret in his peccatis quae secundum sectam suam faciunt: quia etiam in occisione justorum **arbitrantur se obsequium praestare Deo**, ut dicitur Joan. 16. Ergo scintilla rationis est in eis extincta.

**Super Sent., lib. 2 d. 39 q. 3 a. 2 s.c. 2**
Praeterea, ad conscientiam pertinere videtur arbitrium de rebus agendis vel non agendis. Sed in hoc arbitrio plerumque homines decipiuntur, ut patet Joan. 16, 2: venit hora ut omnis qui interficit vos, **arbitretur se obsequium praestare Deo**. Ergo etc.

**Super Sent., lib. 2 d. 39 q. 3 a. 3 arg. 5**
Praeterea, nullus faciens hoc ad quod obligatur, peccat: alias esset perplexus; quod est impossibile, quia sic necessario peccaret. Sed si habeat aliquis erroneam conscientiam quod debeat fornicari, et fornicetur, non excusatur a peccato: alias

tyranni, qui sanctos occiderunt, non peccassent, quia **arbitrabantur se obsequium Deo praestare**. Ergo conscientia erronea non obligat.

**Super Sent., lib. 2 d. 40 q. 1 a. 5 expos.**

Et quia intentio mala sufficit ad hoc quod actus sit malus simpliciter, non tamen intentio bona sufficit ad hoc quod actus sit bonus simpliciter; ideo ex intentione, secundum hanc opinionem, judicantur actus mali, non autem boni; et sic patet quod quaelibet harum trium opinionum secundum aliquid vera est. Qui crucifigendo Christum, **arbitrabantur se obsequium praestare Deo**. Hoc intelligitur de minoribus deceptis fraude majorum qui eum ex malitia persequebantur, cognoscentes eum a Deo venisse per signa quae faciebat…

**Super Sent., lib. 3 d. 3 q. 3 a. 1 qc. 1 c**.

Tertio, quia Deus non diligit coacta sed voluntaria servitia, ut **qui obsequuntur ex ipso ministerio mereantur**. Unde cum beata virgo singulariter et excellenter in Dei ministerium eligeretur, quem in utero portavit, lacte aluit, et brachiis bajulavit, decuit ut consensus ejus Angelo nuntiante requireretur, quem humiliter praebens, **ad obsequium se sedulam et promptam obtulit dicens: ecce ancilla domini**.

**Super Sent., lib. 3 d. 9 q. 1 a. 1 qc. 1 c**.

Respondeo dicendum, ad primam quaestionem, quod quando aliquid commune in multis invenitur, si in aliquo eorum secundum specialem modum inveniatur, habet etiam nomen speciale, sicut nasus curvus dicitur simus. Similiter cum **obsequium** diversis possit exhiberi, speciali quodam et supremo modo Deo debetur, quia in eo est suprema ratio majestatis et dominii; et ideo **servitium vel obsequium** quod ei debetur, speciali nomine nominatur et dicitur latria. Hoc autem nomen tripliciter sumitur: quandoque enim pro eo quod Deo **in obsequium exhibetur**, sicut sacrificium, genuflexiones, et hujusmodi; quandoque autem pro ipsa exhibitione; quandoque vero pro habitu quo **exhibetur obsequium**; et primo modo latria non est virtus, sed materia virtutis; secundo modo est actus virtutis; tertio modo est virtus; et nominatur haec virtus quatuor nominibus: dicitur enim pietas quantum ad effectum devotionis, quod primum occurrit…

**Super Sent., lib. 3 d. 9 q. 2 a. 3 expos.**

In dilectione, sacrificii exhibitione, et reverentia. Dilectio refertur ad honorem interiorem Deo exhibitum; sacrificia ad bona exteriora quae in ejus honorem assumuntur; reverentia, **secundum quod corpus nostrum ei in obsequium damus**, sicut in prostrationibus, et hujusmodi. Una adoratione cum incontaminata carne ejus…

**Super Sent., lib. 3 d. 22 q. 3 a. 2 qc. 1 ad 1**

Ad primum ergo dicendum, quod ferebatur quidem ab Angelis **in obsequium dignitatis**, non in adjutorium necessitatis; sicut reges etiam feruntur et episcopi: unde non sequitur quod fuerit motus violentus.

**Super Sent., lib. 3 d. 23 q. 2 a. 4 qc. 1 ad 3**

Ad tertium dicendum, quod fides non est contra rationem, sed supra rationem: et ideo non dicitur abnegare rationem quasi rationem veram destruens, sed **quasi eam captivans in obsequium Christi**, ut dicit apostolus 2 Corinth. 10.

**Super Sent., lib. 3 d. 34 q. 3 a. 1 qc. 2 ad 2**

Alio modo sicut instrumenta, vel auxilia, quibus indiget fortis ad suum actum, ut arma et societates bellantium. Ita etiam donum respicit ipsas difficultates quae sunt in passionibus et in operationibus humanis principaliter, sed miracula et doctrinam quasi auxilia ad suum actum; sicut patet in apostolis, qui miraculis et doctrina totum mundum sub fide captivum duxerunt **in obsequium Christi**; et secundum hoc dicit Gregorius, quod ad donum fortitudinis pertinet miraculis et doctrina fulgere.

**Super Sent., lib. 3 d. 38 q. 1 a. 3 ad 4**

Si primo modo, sic non contingit in eis mendacium, quia in figurativis locutionibus non est sensus verborum quem primo aspectu faciunt, sed quem proferens sub tali modo loquendi facere intendit, sicut qui dicit, quod pratum ridet, sub quadam rei similitudine intendit significare prati floritionem. Si autem sunt verba alicujus qui recitatur loquens, aut sunt alicujus cujus malitia in Scriptura arguitur, et sic non est inconveniens quod sint ibi etiam mendacia, sicut verba Judaeorum Christum blasphemantium: aut alicujus qui commendatur non de perfectione virtutis, sed de profectu, sicut obstetrices commendantur quod in hoc profecerunt quod non in damnum alicujus, sed **in obsequium divinum** mentitae sunt: aut sunt verba alicujus qui commendatur de perfectione virtutis, et in exemplum proponitur; et tunc est eadem ratio sicut de verbis Scripturae.

**Super Sent., lib. 4 d. 4 q. 1 a. 3 qc. 2 ad 2**

Ad secundum dicendum, quod quando ad unam actionem requiruntur plures potentiae, in illa actione est principalis una potentia quasi movens et trahens alias **in obsequium sui**, et aliae induunt quodammodo formam ipsius; et ideo ex eo quod est in principali potentia, potest actio illa sufficienter perfici.

**Super Sent., lib. 4 d. 15 q. 4 a. 2 qc. 4 c**.

Secundum hoc ergo dico, quod attentio in oratione manere debet semper secundum virtutem, sed non requiritur quod semper maneat per essentiam actus. Manet autem secundum virtutem, quando aliquis ad orationem accedit cum intentione aliquid impetrandi, **vel Deo debitum obsequium reddendi,** etiam si in prosecutione orationis mens ad alia rapiatur; nisi tanta fiat evagatio, quod omnino depereat vis primae intentionis; et ideo oportet quod frequenter homo cor revocet ad seipsum.

**Super Sent., lib. 4 d. 17 q. 2 a. 3 qc. 2 c**.

Ad secundam quaestionem dicendum, quod contritio ex parte doloris qui est in ratione, scilicet displicentiae, quo peccatum displicet inquantum est offensa Dei, non potest esse nimia, sicut nec amor caritatis, quo intenso talis displicentia intenditur, potest esse nimius; sed quantum ad dolorem sensibilem potest esse nimia, sicut etiam exterior corporis afflictio potest esse nimia, ut supra, dist. 15, in quaestione de jejunio, ex verbis Hieronymi patuit. In his enim omnibus debet accipi pro mensura conservatio

subjecti et bonae habitudinis sufficientis ad ea quae agenda incumbunt; **et propter hoc dicitur Rom. 12, 1: rationabile obsequium vestrum**.

**Super Sent., lib. 4 d. 18 q. 2 a. 4 qc. 1 c**
Alii vero contra dicunt. Sed ad minus in his eis communicare debent in quibus eis sunt obligati: **quia sicut inferiores obligantur ad obsequium superiorum**, ita superiores ad providentiam inferiorum. Sunt etiam quidam casus excepti; sicut quando ignoratur excommunicatio; et quando aliqui sunt peregrini et viatores in terra excommunicatorum; qui licite possunt ab eis emere, vel etiam accipere eleemosynam; et similiter si aliquis videat excommunicatum in necessitate: quia tunc ex praecepto caritatis tenetur ei providere..

**Super Sent., lib. 4 d. 25 q. 3 a. 3 c**.
Omnis autem temporalis commodi pretium potest numismate mensurari; et ideo quicumque pro aliquo temporali commodo dat aliquod spirituale, vel annexum, simoniam committit. Bonum autem temporale quod potest aliquis ab alio expectare, vel est ex parte animae, sicut amicitia aut favor aliquis; et quantum ad hoc est munus a lingua: vel ex parte corporis, sicut aliquis actus corporaliter exercitus, vel **obsequium aliquod exhibitum**; et quantum ad hoc est munus **ab obsequio**; vel est aliquid exteriorum bonorum; et sic est munus a manu, quod consistit in exterioribus bonis. Quantum ad primum committitur simonia per munus a lingua, quia lingua opinionem exprimit, et gratiam conceptam; quantum ad secundum per munus ab obsequio; quantum ad tertium per munus a manu.

**Super Sent., lib. 4 d. 25 q. 3 a. 3 ad 3**
Ad tertium dicendum, quod **obsequium** aut est honestum, aut inhonestum. Si quidem sit honestum obsequium, ex ipso **obsequio** quandoque redditur homo dignus beneficio ecclesiastico, sicut et aliis bonis operibus; et tunc si pactio non intervenit, potest absque simonia beneficium ecclesiasticum dari ei qui **obsecutus est**, ut non habeatur oculus ad **obsequium** principaliter, sed ad dignitatem personae; et sic loquitur Gregorius…

**Super Sent., lib. 4 d. 26 q. 1 a. 1 c**.
Filius autem a parente educari et instrui non posset, nisi determinatos et certos parentes haberet: quod non esset, nisi esset aliqua obligatio viri ad mulierem determinatam, quae matrimonium facit. Secundo quantum ad secundarium finem matrimonii, qui est **mutuum obsequium** sibi a conjugibus in rebus domesticis impensum. Sicut enim naturalis ratio dictat ut homines simul cohabitent, quia unus homo non sufficit sibi in omnibus quae ad vitam pertinent, ratione cujus dicitur homo naturaliter politicus; ita etiam eorum quibus indigetur ad humanam vitam, quaedam opera sunt competentia viris quaedam mulieribus; unde natura movet ut sit quaedam associatio viri ad mulierem, in qua est matrimonium…

**Super Sent., lib. 4 d. 26 q. 2 a. 2 c**.
Et ideo matrimonium, secundum quod ordinatur ad procreationem prolis, quae erat necessaria etiam peccato non existente, institutum fuit ante peccatum: secundum autem quod remedium praebet contra vulnus peccati, institutum fuit post peccatum

tempore legis naturae; secundum autem determinationem personarum, institutionem habuit in lege Moysi; sed secundum quod repraesentat mysterium conjunctionis Christi et Ecclesiae, institutionem habuit in nova lege; et secundum hoc est sacramentum novae legis. Quantum autem ad alias utilitates quae ex matrimonio consequuntur, sicut est **amicitia et mutuum obsequium** sibi a conjugibus impensum, habet institutionem in lege civili. Sed quia de ratione sacramenti est quod sit signum et remedium; ideo quantum ad medias institutiones competit ei ratio sacramenti; sed quantum ad primam institutionem competit ei quod sit in officium naturae; quantum vero ad ultimam quod sit in officium civilitatis.

**Super Sent., lib. 4 d. 32 q. 1 a. 5 qc. 3 arg. 2**

Praeterea, ex praecepto affirmativo obligamur ad orandum; et ita ad aliquod tempus determinatum. Ergo pro tempore illo in quo quis orare tenetur, debitum reddere non debet, sicut nec eo tempore quo tenetur temporali domino **ad speciale obsequium**.

**Super Sent., lib. 4 d. 33 q. 1 a. 3 qc. 1 ad 4**

Lex autem naturalis non solum prohibet injustitiam, sed etiam opposita omnium virtutum; sicut contra legem naturae est ut aliquis immoderate comedat, quamvis talis rebus suis utens nulli injuriam faciat. Et praeterea ancilla quamvis sit res **domini ad obsequium**, non est tamen res sua ad concubitum; et iterum interest qualiter quisque re sua utatur. Facit etiam talis injuriam proli procreandae, ad cujus bonum non sufficienter talis conjunctio ordinatur, ut dictum est.

**Super Sent., lib. 4 d. 49 q. 5 a. 3 qc. 2 ad 12**

Ad duodecimum dicendum, quod quidam dicunt, quod in innocentibus occisis pro Christo virtute divina acceleratus est usus rationis, sicut et in Joanne Baptista, dum adhuc esset in materno utero; et secundum hoc vere martyres fuerunt et voluntate et actu, et aureolam habent. Sed alii dicunt, quod fuerunt martyres actu tantum, et non voluntate: quod videtur sentire Bernardus, distinguens tria genera martyrum, ut dictum est; et secundum hoc innocentes sicut non pertingunt ad perfectam rationem martyrii, sed aliquid martyrii habent ex hoc quod passi sunt pro Christo; ita etiam aureolam habent, non quidem secundum perfectam rationem; sed secundum aliquam participationem, inquantum scilicet gaudent se **in obsequium Christi occisos esse**, ut dictum est de pueris baptizatis, quod habebunt aliquod gaudium de innocentia, et carnis integritate.

†††

**Contra Gentiles, lib. 3 cap. 121 n. 5**

Hinc est quod dicitur **Rom. 12-1: rationabile obsequium vestrum**; et I Thess. 4-3: haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra.

†††

**Summa Theologiae I, q. 1 a. 8 ad 2**

Cum enim gratia non tollat naturam, sed perficiat, oportet quod naturalis ratio subserviat fidei; sicut et naturalis inclinatio **voluntatis obsequitur caritati.** Unde et apostolus dicit, II ad Cor. X, in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Et inde est quod etiam auctoritatibus philosophorum sacra doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem cognoscere potuerunt; sicut Paulus,

actuum XVII, inducit verbum Arati, dicens, sicut et quidam poetarum vestrorum dixerunt, genus Dei sumus…

**Summa Theologiae I-II, q. 19 a. 6 s.c**.
Sed contra, voluntas occidentium apostolos erat mala. Sed tamen concordabat rationi erranti ipsorum, secundum illud Ioan. XVI, venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur **obsequium se praestare Deo**. Ergo voluntas concordans rationi erranti, potest esse mala.

**Summa Theologiae I-II, q. 100 a. 5 ad 4**
Debitum autem filii ad patrem adeo est manifestum quod nulla tergiversatione potest negari, eo quod pater est principium generationis et esse, et insuper educationis et doctrinae. Et ideo non ponitur sub praecepto Decalogi ut aliquod beneficium vel **obsequium alicui impendatur** nisi parentibus. Parentes autem non videntur esse debitores filiis propter aliqua beneficia suscepta, sed potius e converso…

**Summa Theologiae I-II, q. 100 a. 7 ad 1**
Sequitur enim, si est album, non est nigrum, non tamen sequitur, si non est nigrum, ergo est album, quia ad plura sese extendit negatio quam affirmatio. Et inde est etiam quod non esse faciendum iniuriam, quod pertinet ad praecepta negativa, ad plures personas se extendit, secundum primum dictamen rationis, quam esse debitum **ut alicui obsequium vel beneficium impendatur**. Inest autem primo dictamen rationis quod homo debitor **est beneficii vel obsequii exhibendi illis** a quibus beneficia accepit, si nondum recompensavit…

**Summa Theologiae I-II, q. 102 a. 5 ad 4**
Erat etiam hoc praeceptum ad declinandam idololatriam, credebant enim idololatrae quod, si mures aut lacertae, vel aliquid huiusmodi, quae immolabant idolis, cito caderent in vasa vel in aquas, quod essent diis gratiosa. Adhuc etiam aliquae mulierculae vasa dimittunt discooperta **in obsequium nocturnorum numinum,** quae ianas vocant. Harum autem immunditiarum ratio est figuralis quia per lepram domus significatur immunditia congregationis haereticorum…

**Summa Theologiae II-II, q. 27 a. 6 arg. 3**
Sed mensura voluntatis humanae, sicut et actionis exterioris, est ratio. Ergo sicut in exteriori effectu caritatis oportet habere modum a ratione praestitum, secundum **illud Rom. XII, rationabile obsequium vestrum**; ita etiam ipsa interior dilectio Dei debet modum habere.

**Summa Theologiae II-II, q. 62 a. 6 c**.
Tertio modo aliquis accipit rem alterius absque iniuria non pro sua utilitate, sicut patet in depositis. Et ideo ille qui sic accepit in nullo tenetur ratione acceptionis, **quinimmo accipiendo impendit obsequium**, tenetur autem ratione rei. Et propter hoc, si ei subtrahatur res absque sua culpa, non tenetur ad restitutionem…

**Summa Theologiae II-II, q. 82 a. 3 c**.:

Causa autem intrinseca ex parte nostra, oportet quod sit meditatio seu contemplatio. Dictum est enim quod devotio est quidam voluntatis actus ad hoc **quod homo prompte se tradat ad divinum obsequium**. Omnis autem actus voluntatis ex aliqua consideratione procedit, eo quod bonum intellectum est obiectum voluntatis, unde et Augustinus dicit, in libro de Trin. quod voluntas oritur ex intelligentia…

**Summa Theologiae II-II, q. 88 a. 2 ad 3**m

Et sub tali tenore possunt huiusmodi sub voto cadere. Propter quod et apostolus, Rom. XII, postquam dixerat, exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, addidit, **rationabile obsequium vestrum.** Sed quia in his quae ad seipsum pertinent de facili fallitur homo in iudicando, talia vota congruentius secundum arbitrium superioris sunt vel servanda vel praetermittenda…

**Summa Theologiae II-II, q. 88 a. 5 c**.

Manifestum est autem ex praedictis quod votum est quaedam promissio Deo facta, et quod promissio nihil est aliud quam ordinatio quaedam eius quod promittitur in eum cui promittitur. Unde votum est ordinatio quaedam eorum quae **quis vovet in divinum cultum seu obsequium**. Et sic patet quod vovere proprie est actus latriae seu religionis.

**Summa Theologiae II-II, q. 88 a. 12 ad 1**

Particulare autem in universali includitur. Et ideo decretalis dicit quod reus fracti voti non habetur qui **temporale obsequium** in perpetuam religionis observantiam commutat. Nec tamen in religionem ingrediens tenetur implere vota vel ieiuniorum vel orationum vel aliorum huiusmodi, quae existens in saeculo fecit, quia religionem ingrediens moritur priori vitae; et etiam singulares observantiae religioni non competunt; et religionis onus satis hominem onerat, ut alia superaddere non oporteat.

**Summa Theologiae II-II, q. 100 a. 5 c**.

Respondeo dicendum quod, sicut supra dictum est, nomine pecuniae intelligitur cuiuscumque pretium pecunia mensurari potest. Manifestum est autem quod obsequium hominis ad aliquam utilitatem ordinatur quae potest pretio pecuniae aestimari, unde et pecuniaria mercede ministri conducuntur. Et ideo idem est quod aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito vel exhibendo, ac si daret pro pecunia, data vel promissa, **qua illud obsequium aestimari posset…**

**Summa Theologiae II-II, q. 100 a. 5 c**.

Manifestum est autem quod **obsequium hominis ad aliquam utilitatem ordinatur** quae potest pretio pecuniae aestimari, unde et pecuniaria mercede ministri conducuntur. Et ideo idem est quod aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito vel exhibendo, ac si daret pro pecunia, data vel promissa, qua illud obsequium aestimari posset. Similiter etiam quod aliquis satisfaciat precibus alicuius ad temporalem gratiam quaerendam, ordinatur ad aliquam utilitatem quae potest pecuniae pretio aestimari…

**Summa Theologiae II-II, q. 100 a. 5 ad 1**

Ad primum ergo dicendum quod si aliquis clericus **alicui praelato impendat obsequium honestum et ad spiritualia ordinatum**, puta ad Ecclesiae utilitatem vel ministrorum eius auxilium, ex ipsa **devotione obsequii redditur dignus ecclesiastico beneficio**, sicut et propter alia bona opera. Unde non intelligitur **esse munus ab obsequio**…

**Summa Theologiae II-II, q. 100 a. 5 ad 1**
Et in hoc casu loquitur Gregorius. Si vero **sit inhonestum obsequium**, vel ad carnalia ordinatum, puta quia servivit praelato ad utilitatem consanguineorum suorum vel patrimonii sui, vel ad aliquid huiusmodi, esset munus ab obsequio, et simoniacum.

**Summa Theologiae II-II, q. 101 a. 2 c.**
Per se quidem debetur eis id quod decet patrem inquantum est pater. Qui cum sit superior, quasi principium filii existens, debetur ei **a filio reverentia et obsequium**. Per accidens autem aliquid debetur patri quod decet eum accipere secundum aliquid quod ei accidit, puta, si sit infirmus, quod visitetur, et eius curationi intendatur; et si sit pauper, quod sustentetur; et sic de aliis huiusmodi, quae omnia sub debito obsequio continentur…

**Summa Theologiae II-II, q. 101 a. 2 c.:**
Et ideo Tullius dicit quod pietas exhibet et officium et cultum. Ut officium **referatur ad obsequium**, cultus vero ad reverentiam sive honorem; quia, ut Augustinus dicit, in X de Civ. Dei, dicimur colere homines quos honorificatione, vel recordatione, vel praesentia frequentamus.

**Summa Theologiae II-II, q. 101 a. 3 arg. 1**
Videtur quod pietas non sit specialis virtus ab aliis distincta. Exhibere enim **obsequium et cultum** aliquibus ex amore procedit. Sed hoc pertinet ad pietatem…

**Summa Theologiae II-II, q. 158 a. 1 ad 2**
Et haec ira est bona, quae dicitur ira per zelum. Unde Gregorius dicit, in V Moral. curandum summopere est ne ira, quae ut instrumentum virtutis assumitur, menti dominetur, ne quasi domina praeeat, sed velut ancilla **ad obsequium parata,** a rationis tergo nunquam recedat. Haec autem ira, etsi in ipsa executione actus iudicium rationis aliqualiter impediat, non tamen rectitudinem rationis tollit…

**Summa Theologiae II-II, q. 188 a. 2 c**
Ad dilectionem autem Dei directe pertinet vita contemplativa, quae soli Deo vacare desiderat, ad dilectionem autem proximi pertinet vita activa, quae deservit necessitatibus proximorum. Et sicut ex caritate diligitur proximus propter Deum**, ita etiam obsequium delatum** in proximos redundat in Deum, secundum illud Matth. XXV, quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Unde et **huiusmodi obsequia proximis facta**, inquantum ad Deum referuntur, dicuntur esse sacrificia quaedam, secundum illud Heb. ult. beneficentiae et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus…

**Summa Theologiae II-II, q. 188 a. 2 c.**
Et quia ad religionem proprie pertinet sacrificium Deo offerre, ut supra habitum est, consequens est quod convenienter religiones quaedam ad opera vitae activae ordinantur. Unde et in collationibus patrum, abbas Nesteros, distinguens diversa religionum studia, dicit, quidam summam intentionis suae erga eremi secreta et cordis constituunt puritatem; quidam erga institutionem fratrum et coenobiorum curam; quosdam xenodochii, idest hospitalitatis, **delectat obsequium.**

**Summa Theologiae II-II, q. 188 a. 2 ad 1**
Ad primum ergo dicendum quod Dei servitium et famulatus salvatur etiam in operibus vitae activae, quibus aliquis servit proximo propter Deum, sicut dictum est. In quibus etiam salvatur singularitas vitae, non quantum ad hoc quod homo cum hominibus non conversetur; sed quantum ad hoc quod homo singulariter his intendat quae **ad divinum obsequium spectant**. Et dum religiosi operibus vitae activae insistunt intuitu Dei, consequens est quod in eis actio ex contemplatione divinorum derivetur…

**Summa Theologiae II-II, q. 188 a. 2 ad 3**
Unde et discipulis suis dominus dicit, ego elegi vos de mundo, de quibus tamen ad patrem loquitur dicens, hi in mundo sunt, et ego ad te venio. Quamvis igitur religiosi qui circa opera activae vitae occupantur, sint in saeculo secundum praesentiam corporalem, non tamen sunt in saeculo quantum ad mentis affectum, quia in exterioribus occupantur non quasi quaerentes aliquid in mundo, sed solum **propter divinum obsequium**; utuntur enim hoc mundo tanquam non utentes, ut dicitur I ad Cor. VII. Unde et Iac. I, postquam dictum est quod religio munda et immaculata est visitare pupillos et viduas, subditur, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo, ut scilicet affectu in rebus saeculi non detineatur.

**Summa Theologiae II-II, q. 188 a. 3 c**.
Respondeo dicendum quod, sicut dictum est, religio institui potest non solum ad opera contemplativae vitae, sed etiam ad opera vitae activae, inquantum pertinent **ad subventionem proximorum et obsequium Dei**, non autem inquantum pertinent ad aliquid mundanum tenendum. Potest autem officium militare ordinari ad subventionem proximorum, non solum quantum ad privatas personas, sed etiam quantum ad totius reipublicae defensionem, unde de Iuda Machabaeo dicitur, I Machab. III, quod praeliabatur praelium Israel cum laetitia, et dilatavit gloriam populo suo…

**Summa Theologiae II-II, q. 188 a. 3 ad 2**
Neque etiam pro defensione pauperum aut viduarum, unde in decretis, dist. LXXXVIII, dicitur, decrevit sancta synodus nullum deinceps clericum aut possessiones conducere, aut negotiis saecularibus se permiscere, nisi propter curam pupillorum, etc. Et similiter militare propter aliquid mundanum est omni religioni contrarium, non autem **militare propter obsequium Dei**.

**Summa Theologiae II-II, q. 188 a. 3 ad 3**
Ad tertium dicendum quod militia saecularis interdicitur poenitentibus, sed militia quae est **propter Dei obsequium**, imponitur alicui in poenitentiam; sicut patet de his quibus iniungitur ut militent in subsidium terrae sanctae.

**Summa Theologiae II-II, q. 188 a. 4 c**

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est, convenienter religio institui potest ad opera vitae activae, secundum quod ordinantur **ad utilitatem proximorum, et ad obsequium Dei, et conservationem divini cultus**. Magis autem procuratur utilitas proximorum per ea quae pertinent ad spiritualem animae salutem, quam per ea quae pertinent ad subveniendum corporali necessitati, quanto spiritualia corporalibus sunt potiora, unde supra dictum est quod eleemosynae spirituales sunt corporalibus potiores … Magis autem procuratur utilitas proximorum per ea quae pertinent ad spiritualem animae salutem, quam per ea quae pertinent ad subveniendum corporali necessitati, quanto spiritualia corporalibus sunt potiora, unde supra dictum est quod eleemosynae spirituales sunt corporalibus potiores. Hoc etiam **magis pertinet ad obsequium Dei, cui nullum sacrificium est magis acceptum quam zelus animarum**, ut Gregorius dicit, super Ezech. Maius etiam est spiritualibus armis contra errores haereticorum et tentationes Daemonum fideles defendere, quam corporalibus armis populum fidelem tueri…

**Summa Theologiae II-II, q. 188 a. 7 c**.

Non enim omnis sollicitudo a domino interdicitur, sed superflua et nociva, unde super illud Matth. VI, nolite solliciti esse animae vestrae, quid manducetis, etc. dicit Augustinus, in libro de Serm. Dom. in monte, non hoc dicit, ut ista non procurent quantum necessitatis est, sed ut non ista intueantur, et propter ista faciant quidquid in Evangelii praedicatione facere iubentur. Sed abundans divitiarum possessio abundantiorem sollicitudinem ingerit, per quam animus hominis multum distrahitur et impeditur, ne totaliter feratur **in Dei obsequium**. Alia vero duo, scilicet amor divitiarum et elatio seu gloriatio de divitiis, non consequuntur nisi abundantes divitias…

**Summa Theologiae II-II, q. 189 pr**.

Quinto, utrum pueri sint recipiendi in religione. Sexto, utrum propter parentum **obsequium** aliqui debeant retrahi a religionis ingressu. Septimo, utrum presbyteri curati vel archidiaconi possint ad religionem transire octavo, utrum de una religione possit aliquis transire ad aliam…

**Summa Theologiae II-II, q. 189 a. 3 ad 3**

Ad tertium dicendum quod votum religionis, cum sit perpetuum, est maius quam votum peregrinationis terrae sanctae, quod est temporale. Et sicut Alexander III dicit, et habetur extra, de voto et voti Redempt. reus fracti voti aliquatenus non habetur **qui temporale obsequium in perpetuam noscitur** religionis observantiam commutare. Rationabiliter autem dici potest quod etiam per ingressum religionis aliquis consequatur remissionem omnium peccatorum…

**Summa Theologiae II-II, q. 189 a. 6 arg. 1**

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod **propter obsequium parentum** debeant aliqui retrahi ab ingressu religionis. Non enim licet praetermittere id quod est necessitatis, ut fiat id quod est liberum voluntati…

**Summa Theologiae II-II, q. 189 a. 6 arg. 1**

Ingredi autem religionem est liberum voluntati. Ergo videtur quod non debeat aliquis **__praetermittere parentum obsequium propter religionis ingressum__**.

**__Summa Theologiae II-II, q. 189 a. 6 arg. 2__**
Praeterea, maior videtur esse subiectio filii ad parentes quam servi ad dominum, quia filiatio est naturalis; servitus autem ex maledictione peccati, ut patet Gen. IX. Sed servus non potest praetermittere obsequium domini sui ut religionem ingrediatur aut sacrum ordinem assumat, sicut habetur in decretis, dist. LIV, si servus. Ergo multo minus filius potest **__obsequium__** patris praetermittere ut ingrediatur religionem. Sed servus non potest praetermittere **__obsequium__** domini sui ut religionem ingrediatur aut sacrum ordinem assumat, sicut habetur in decretis, dist. LIV, si servus. Ergo multo minus filius potest **__obsequium__** patris praetermittere ut ingrediatur religionem.

**__Summa Theologiae II-II, q. 189 a. 6 c.__**
Per accidens tamen parentibus convenit ut a filiis adiuventur, inquantum scilicet sunt in necessitate aliqua constituti. Et ideo dicendum est quod, parentibus in necessitate existentibus ita quod eis commode aliter quam **__per obsequium filiorum__** subveniri non possit, non licet filiis, praetermisso **parentum obsequio**, religionem intrare. Si vero non sint in tali necessitate ut filiorum **__obsequio__** multum indigeant, possunt, praetermisso parentum **__obsequio__**, filii religionem intrare, etiam contra praeceptum parentum, quia post annos pubertatis, quilibet ingenuus libertatem habet quantum ad ea quae pertinent ad dispositionem sui status, praesertim in his quae sunt divini obsequii; et magis est obtemperandum patri spirituum, ut vivamus, quam parentibus carnis, ut apostolus, Heb. XII, dicit….

**__Summa Theologiae II-II, q. 189 a. 6 ad 2__**
Ad secundum dicendum quod, quia servitus est in poenam peccati inducta, ideo per servitutem aliquid adimitur homini quod alias ei competeret, ne scilicet libere de sua persona possit disponere, servus enim id quod est, domini est. Sed filius non patitur detrimentum ex hoc quod subiectus est patri, quin possit de sua persona libere disponere **__transferendo se ad obsequium Dei__**, quod maxime pertinet ad hominis bonum.

**__Summa Theologiae II-II, q. 189 a. 9__**
Sed contra est quod dicitur Exod. XXVI, cortina cortinam trahat. Debet ergo unus homo alium trahere **__ad Dei obsequium__.**

**__Summa Theologiae III, q. 49 a. 4 c__**.
Alio modo, inquantum est Deo sacrificium acceptissimum. Est enim hoc proprie sacrificii effectus, ut per ipsum placetur Deus, sicut cum homo offensam in se commissam remittit **__propter aliquod obsequium acceptum quod ei exhibetur__.** Unde dicitur I Reg. XXVI, si dominus incitat te adversum me, odoretur sacrificium…

†††

**De veritate, q. 16 a. 2 arg. 2**

Praeterea, cum peccare non sit habitus, proprie loquendo, neque potentiae, sed hominis, quia actus singularium sunt; dicitur tamen aliquis habitus vel potentia peccare, secundum quod per actum alicuius habitus vel potentiae homo inducitur ad peccandum. Sed per actum synderesis homo inducitur ad peccandum quandoque: quia dicitur Ioan. XVI, vers. 2: venit hora ut omnis qui interficit vos, **arbitretur se obsequium praestare Deo**; et sic ad occisionem apostolorum aliqui inclinabantur ex hoc arbitrio quo iudicabant esse obsequendum Deo, quod iudicium ad synderesim certum est pertinere. Ergo synderesis peccat.

**De veritate, q. 16 a. 2 ad 2**

Ad secundum dicendum, quod quando in aliquo syllogismo conclusio falsa inducitur ex duabus propositionibus quarum una est vera et alia falsa, peccatum conclusionis non attribuitur propositioni verae, sed falsae. Et ideo in illo arbitrio quo occisores apostolorum arbitrabantur **se obsequium praestare Deo**, peccatum non proveniebat ex universali iudicio synderesis, quod est Deo esse obsequendum, sed ex falso iudicio rationis superioris, quae arbitrabatur occisionem apostolorum esse beneplacitam Deo. Et ideo non oportet concedere quod per actum synderesis ad peccandum inclinarentur.

**De veritate, q. 17 a. 2**

Sed contra. Est quod dicitur Ioan. XVI, vers. 2: venit hora ut omnis qui interficit vos, **arbitretur obsequium se praestare Deo**. Ergo his qui occidebant apostolos, dictabat conscientia quod eos occiderent…

**De veritate, q. 24 a. 2 ad 6**

Ad sextum dicendum, quod cum bruta sint facta **in obsequium hominis**, secundum hoc de brutis disponitur quod hominibus expedit, propter quos facta sunt. Puniuntur ergo bruta lege divina, non propter hoc quod ipsa peccent, sed propter hoc quod ex eorum poena homines puniantur in eorum possessione, vel terreantur ex ipsa poenae acerbitate, vel etiam instruantur ex mysterii significatione.

**De malo, q. 2 a. 2 ad 8**

Si tamen sub intentione comprehendatur non solum intentio finis, sed voluntas operis, sic verum est in bono et in malo, quod quantum aliquis intendit tantum facit. Qui enim vult occidere sanctos **ut obsequium praestet Deo**, aut qui vult facere furtum ut det eleemosynam, videtur quidem habere intentionem bonam, sed voluntatem malam. Et propter hoc si sub intentione etiam voluntas comprehendatur, ut totum intentio nominetur, erit etiam intentio mala.

**De malo, q. 12 a. 1 c**.

Uno modo antecedenter; et sic necesse est ut semper ira et omnis huiusmodi passio iudicium rationis impediat, quia anima maxime iudicare potest veritatem in tranquillitate quadam mentis; unde philosophus etiam dicit, quod in quiescendo fit anima sciens et prudens. Alio modo potest se habere ira ad iudicium rationis ut consequenter; quia scilicet postquam ratio diiudicavit et ordinavit modum vindictae, tunc passio insurgit ad exequendum; et sic ira et aliae huiusmodi passiones non impediunt iudicium rationis,

quia iam praecessit; sed magis adiuvant ad promptius exequendum, et in hoc sunt utiles virtuti; unde Gregorius dicit in V Moral. curandum summopere est, ne ira, quae ut instrumentum virtutis assumitur, menti dominetur, nec quasi domina praeeat, **sed velut ancilla ad obsequium parata a rationis tergo nequaquam recedat**; tunc enim robustius contra vitia erigitur, cum subdita rationi famulatur. Tertio defecerunt Stoici in hoc quod non recte accipiebant iram et alias passions…

**De malo, q. 13 a. 4 arg. 13**

Praeterea, simonia committitur quodcumque munus accipiatur sive a lingua, sive a manu, **sive ab obsequio**. Si ergo accipere munus a manu pro pecunia mutuata, esset peccatum mortale, pari ratione etiam videretur quod etiam quodcumque obsequium aliquis acciperet pro pecunia mutuata, esset peccatum mortale: quod videtur valde durum.

**De virtutibus, q. 2 a. 5 ad 6**

Ad sextum dicendum, quod caritas est, sicut in subiecto, in una tantum potentia, scilicet in voluntate, quae per imperium movet alias potentias; et secundum hoc Deum iubemur ex tota mente et anima diligere, ut omnes vires animae nostrae advocentur **in obsequium divini amoris.**

**Quodlibet VIII, q. 6 a. 1 arg**.

Ipse enim videtur **ponere obsequium divinum**, quod est impretiabile, sub pretio rei temporalis. Ergo committit simoniam; et ita videtur quod mortaliter peccet.

**Quodlibet X, q. 5 a. 2 c**.

Quae quidem duae opiniones, etsi multum differre videantur quantum ad vocem, tamen quantum ad rem parum vel nihil differre inveniuntur. Nam ad regulam pertinere intelligenda sunt non solum ea quae sunt expresse in regula, sed etiam illa quae quocumque modo ad regulam reducuntur, utpote quae pertinent **ad obsequium fraternae societatis**, et ad punitionem culparum: ad quae duo fere omnia huiusmodi indifferentia possunt reduci. Si tamen aliqua sunt quae nullatenus ad regulam reducuntur, videtur esse verior opinio, quod obedire in huiusmodi non sit de necessitate obedientiae, sed de perfectione, ut Bernardus manifeste dicit in libro de praecepto et dispensatione; et hoc ideo quia obedientia non se extendit ultra potestatem vel ius praelationis, quae quidem secundum regulam limitatur.

**Quodlibet X, q. 5 a. 3 ad 1**

Ad primum ergo dicendum, quod utriusque voti transgressio inducit reatum peccati mortalis ex hoc quod utrumque aequaliter obligat apud Deum; sed quantum ad impedimentum matrimonii non habet utrumque aequalem efficaciam. Nam per votum solemne transfert se vovens quasi **in corporale obsequium ipsius Dei** per susceptionem ordinis vel introitum religionis. Quod autem aliquis semel uni dedit, non potest postmodum alteri dare; et ideo post votum solemne non potest aliquis se tradere in potestatem uxoris matrimonium contrahendo…

**Quodlibet III, q. 6 a. 2**
Sed contra, spiritualia semper praeferenda sunt carnalibus. Sed religiosi se obligaverunt **ad obsequium spiritualis patris, scilicet Dei**, cui magis tenemur, secundum illud ad Hebr. cap. XII, 9: quanto magis obtemperabimus patri spirituum et vivemus? Non ergo debent dimittere sui ordinis observantias, ut parentibus carnalibus ministrent.

**Quodlibet III, q. 12 a. 1**
Sed contra, est quod dominus dicit Ioan. cap. XVI, 2, discipulis loquens: venit hora ut omnis qui interfecerit vos, **arbitretur se obsequium praestare Deo**. Sed hoc non est nisi conscientia errante…

**Quodlibet V, q. 9 a. 2 c**.
Est ergo considerandum, quod in spirituali vita dilectio Dei est sicut finis; ieiunia autem et vigiliae et alia exercitia corporalia non quaeruntur tamquam finis; quia, sicut dicitur ad Rom. cap. XIV, 17, non est regnum Dei esca et potus; sed adhibentur tamquam necessaria ad finem, idest ad domandas concupiscentias carnis, secundum illud apostoli, I ad Cor. IX, 27: castigo corpus meum, et in servitutem redigo etc. Et ideo huiusmodi sunt adhibenda cum quadam mensura rationis: ut scilicet concupiscentia devitetur, et natura non extinguatur; secundum illud ad **Rom. XII, 1: exhibeatis corpora vestra hostiam viventem; et postea subdit: rationabile obsequium vestrum**. Si vero aliquis in tantum virtutem naturae debilitet per ieiunia et vigilias, et alia huiusmodi, quod non sufficiat debita opera exequi; puta praedicator praedicare, doctor docere, cantor cantare, et sic de aliis; absque dubio peccat; sicut etiam peccaret vir qui nimia abstinentia se impotentem redderet ad debitum uxori reddendum…

**Contra impugnantes, pars 1 c**
Secunda prout aliquis ad aliqua opera caritatis se obligat, quibus specialiter Deo servitur vitae abrenuntians saeculari; et hoc modo religionis nomine ad praesens utimur. Caritas autem Deo **debitum obsequium reddit secundum actus vitae activae et contemplativae**. Et in actibus vitae activae diversimode secundum diversa officia caritatis, quae proximis impenduntur: et ideo sunt aliquae religiones institutae ad vacandum Deo per contemplationem, sicut religio monastica et eremitica; aliquae autem ad serviendum Deo in membris suis per actionem, sicut illorum qui ad hoc se Deo dedicant, ut infirmos suscipiant, captivos redimant, et alia misericordiae opera exequantur…

**Contra impugnantes, pars 2 cap. 4 ad 1**
Sunt etiam quaedam praecepta legis naturae quibus homo non sibi providet, sed naturae communi: sicut praeceptum de actu generativae virtutis, quo species humana multiplicatur et salvatur; vel etiam quibus homo non soli sibi, sed aliis providere potest; unde et ad haec observanda non quilibet obligatur, quia nec unus ad omnia sufficeret, quibus hominum vita indiget: non enim posset unus homo generationi intendere, et contemplationi et aedificationi et agriculturae et omnibus aliis exercitiis, quibus indiget vita humana: verum in his unus ab alio iuvatur, sicut in corpore unum membrum ab alio. Et ideo **propter mutuum obsequium**, quod homines sibi invicem impendere

debent, dicit apostolus Rom. XII, 5: singuli autem alter alterius membra. Horum autem ministeriorum distributio, ut scilicet diversi homines diversis ministeriis occupentur, fit principaliter ex divina providentia; sed secundario ex causis naturalibus, per quas homo magis inclinatur ad unum quam ad aliud…

**Contra impugnantes, pars 2 cap. 5 arg. 10**
Item. **Rom. XII, 1: rationabile obsequium vestrum:** Glossa: ne quid nimis sit. Sed dare omnia est dare nimis, quia excedit medium, quod tenet liberalitas in dando, quae dat aliqua, et reservat quaedam…

**Contra impugnantes, pars 2 cap. 5 arg. 10**
Sed dare omnia est dare nimis, quia excedit medium, quod tenet liberalitas in dando, quae dat aliqua, et reservat quaedam. Ergo qui omnia dans religionem intrat, **non praestat Deo rationabile obsequium.**

**Contra impugnantes, pars 2 cap. 5 ad 10**
Sunt ergo quaedam quae immediate ad naturam sustentandam pertinent, sicut cibus, potus et somnus et huiusmodi: et in istis actus gratuitae virtutis modum naturae conservandae non excedit: unde, si in istis aliquid sibi subtrahat ultra id quod natura sustinere potest, rationis modum excedit, et vitiosus est. Et de his loquitur apostolus et Glossa; unde dicit Glossa: **obsequium vestrum in praedictis**, scilicet in maceratione carnis, de qua praemiserat, sit rationabile, idest cum discretione, ne quid nimis sit; sed cum temperantia vestra corpora castigetis, ut non naturae defectu cogantur dissolvi. Quaedam autem sunt sine quibus natura conservari potest, sicut venereorum usus: et ideo in istis, quantumcumque subtrahatur propter Deum, non potest esse superfluum, dummodo ex aliqua alia circumstantia vitium non incidat: propter hoc virginitas laudabilis est, quae ab omni huiusmodi delectabili abstinet…

**Contra impugnantes, pars 3 cap. 5 c.**
Et in fine epistolae concludit: cui quaeso ut suadeas, ei scilicet qui super praedictis eum reprehendebat, ne vescentium dentibus edentulus invideat, et oculos caprearum talpa contemnat. Ex quo patet quod commendabile est quod aliquis eloquentiam et sapientiam saecularem **ad obsequium divinae sapientiae** trahat; et quod hoc reprehendentes sunt sicut caeci invidentes videntibus, quaecumque ignorant blasphemantes, ut dicitur in Can. Iudae. Item…

**Contra impugnantes, pars 3 cap. 5 c**.
Et hoc modo mundana sapientia et eloquentia pseudoapostoli utebantur, contra quos apostolus loquitur in epistola II ad Cor. unde I ad Cor. I, 17, super illud, non in humanae sapientiae verbis, dicit Glossa: pseudoapostoli, ne stulti viderentur prudentibus mundi, in sapientia humana Christum praedicabant dupliciter; scilicet eloquentiae studentes, et quae mundus stulta iudicat, evitantes. Commendatur autem quando non ad se ostentandum, sed ad utilitatem audientium, qui sic quandoque facilius et efficacius instruuntur, vel convincuntur adversarii, utitur aliquis sapientia et eloquentia saeculari: et iterum quando aliquis non principaliter eis intendit, sed eis **utitur in obsequium sacrae doctrinae**, cui principaliter inhaeret, ut sic omnia alia in obsequium eius assumat, secundum id quod habetur II Cor. X, 5: in captivitatem

redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Et ita etiam apostoli eloquentia utebantur…

**Contra impugnantes, pars 3 cap. 5 c**.
Et hoc modo mundana sapientia et eloquentia pseudoapostoli utebantur, contra quos apostolus loquitur in epistola II ad Cor. unde I ad Cor. I, 17, super illud, non in humanae sapientiae verbis, dicit Glossa: pseudoapostoli, ne stulti viderentur prudentibus mundi, in sapientia humana Christum praedicabant dupliciter; scilicet eloquentiae studentes, et quae mundus stulta iudicat, evitantes. Commendatur autem quando non ad se ostentandum, sed ad utilitatem audientium, qui sic quandoque facilius et efficacius instruuntur, vel convincuntur adversarii, utitur aliquis sapientia et eloquentia saeculari: et iterum quando aliquis non principaliter eis intendit, sed eis utitur **in obsequium sacrae doctrinae**, cui principaliter inhaeret, ut sic omnia alia **in obsequium eius** assumat, secundum id quod habetur II Cor. X, 5: in captivitatem redigentes omnem intellectum **in obsequium Christi**. Et ita etiam apostoli eloquentia utebantur…

**De perfectione, cap. 5 c**.
Primo quidem ut homo omnia in Deum referat sicut in finem, sicut apostolus dicit I Cor. X, 31: sive manducatis sive bibitis vel aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite: quod quidem impletur cum aliquis vitam suam ad Dei servitium ordinat, et per consequens omnia quae propter se ipsum agit, virtualiter ordinantur in Deum, nisi sint talia quae a Deo abducant, sicut peccata: et sic Deum diligit homo ex toto corde. Secundo, ut intellectum suum homo Deo subiiciat, ea credens quae divinitus traduntur, secundum illud apostoli II Cor. X, 5: in captivitatem redigentes omnem intellectum **in obsequium Christi**: et sic Deus diligitur ex tota mente. Tertio, ut quaecumque homo amat, in Deo amet, et universaliter omnem suam affectionem ad Dei dilectionem referat: unde apostolus dicebat in II ad Cor. V 13- 14: sive mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis; caritas enim Christi urget nos: et sic Deus ex tota anima diligitur…

**Contra retrahentes, cap. 12 c**.
Pari ergo ratione, et si ordinetur ad latriam, quae est abstinentia potior. Votum autem est latriae actus: est enim promissio Deo facta de his quae pertinent **ad Dei obsequium**: unde Isai. XIX, 21, dicitur: cognoscent Aegyptii dominum in die illa, et colent eum in hostiis et muneribus, et vota vovebunt domino et solvent. Ieiunium igitur laudabilius erit et magis meritorium, si fiat ex voto…

**Super De Trinitate, pars 1 q. 2 a. 3 co. 4**
Uno modo in hoc quod utantur his quae sunt contra fidem, quae non sunt philosophiae, sed corruptio vel abusus eius, sicut Origenes fecit. Alio modo, ut ea quae sunt fidei includantur sub metis philosophiae, ut scilicet si aliquis credere nolit nisi quod per philosophiam haberi potest, cum e converso philosophia sit ad metas fidei redigenda, secundum illud apostoli 2 Cor. 10: in captivitatem redigentes omnem intellectum **in obsequium Christi.**

**Super De Trinitate, pars 1 q. 2 a. 3 ad 5**

Et tamen potest dici quod quando alterum duorum transit in dominium alterius, non reputatur mixtio, sed quando utrumque a sua natura alteratur. Unde illi, qui utuntur philosophicis documentis in sacra doctrina redigendo **in obsequium fidei**, non miscent aquam vino, sed aquam convertunt in vinum.

**Super De Trinitate, pars 2 q. 3 a. 2 co. 1**

Oportet autem nos eum reeligere quem amiseramus neglegentes, ut ibidem dicit. Et inde est quod illi, qui vitam suam totam et se ipsos **ad divinum obsequium votis quibusdam obligant**, **religiosi dicuntur**.

†††

**Super Isaiam, cap. 6 l. 1**

Angelus, quia exterius loquendo servit; dominus, quia interius praesidens loquendi efficaciam tribuit. Cum enim loquens ab interiori regitur, et **per obsequium Angelus**, et per inspirationem dominus memoratur. Ad secundum dicendum, quod hoc dicitur propter eminentissimum modum clarae visionis, quo Moyses super alios prophetas vidit, sicut dicitur Num. 12…

**Super Isaiam, cap. 6 l. 2**

Mittam, in quo notatur unitas essentiae: nobis, in quo pluralitas personarum. Secundo ponitur **oblatum obsequium**: et dixi: ecce ego: mitte me. Infra 50: ego autem non contradico, retrorsum non abii…

**Super Psalmo 19, n. 1**

Omne opus bonum est sicut sacrificium: quia omnia debent Deo offerri: 1 Cor. 10: omnia in gloriam Dei facite. Ergo omnia nostra sunt sacrificium quodammodo: sive eleemosynae: Hebr. ult. beneficientiae et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus; sive jejunium: **Rom. 12**: exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, **rationabile obsequium vestrum**. In veteri quidem testamento quaedam sacrificia fiebant, quae non totaliter comburebantur, sed pars; et pars in usum offerentium veniebat, sicut hostiae pacificae quaedam quae totaliter comburebantur, quae dicebantur sanctissima, quae vocabantur holocaustum ab olon quod est totum, et cauma quod est incensum…

**Super Psalmo 40, n. 1**

Job 29: oculus fui caeco, et pes claudo. Mystice si referatur ad Christum, beatus Christianus si est filius Core, idest crucis Christi per meditationem, qui intelligit, idest qui habet **intellectum reductum in obsequium**, intelligens super egenum et pauperem, idest beneficium quod Christus fecit per crucem. Thren. 3: recordare paupertatis et transgressionis meae, absinthii et fellis…

**Super Psalmo 41, n. 6**

Et hoc expositum est supra. Alius effectus est, quia crescit in spe: quia si rex admittit aliquem **ad familiare obsequium et colloquium**, assumit fiduciam petendi et obtinendi. In oratione autem homo specialiter loquitur cum Deo…

**Super Psalmo 50, n. 4**

Hoc fiebat cum hyssopo. Hyssopus est herba quae terrae inhaeret, et curat inflationem, ut in Glossa dicitur; et convenit fidei quae humilitatem habet, quia per fidem subjicitur intellectus Deo: **2 Cor. 10**: in captivitatem redigentes omnem intellectum **in obsequium Christi**. Item radicata est in petra, idest Christo: Matth. 16: super hanc petram etc.…

**Catena in Mt., cap. 2 l. 1**
Ipse etiam Christus expectatio gentium, de quibus quondam beatissimo patri Abrahae innumerabilis fuit promissa successio, non carnis semine, sed fidei fecunditate generanda; et ideo stellarum multitudini comparata, ut ab omnium gentium patre, non terrena, sed caelestis progenies speraretur. Ad credendum ergo promissae posteritatis heredes in sideribus designati, ortu novi sideris excitantur, ut in quo caelum est adhibitum in testimonium, **caeli famuletur obsequium**. Chrysostomus in Matth. …

**Catena in Mt., cap. 2 l. 4**
Chrysostomus super Matth. Ex hoc loco ostenditur, quia cum stella deduxisset magos prope Ierusalem, abscondita est ab eis, ut relicti a stella cogerentur in Ierusalem interrogare de Christo simul et manifestare propter duo: primo ad confusionem Iudaeorum, quia gentiles stellae tantummodo visione confirmati, Christum per alienas provincias requirebant, et Iudaei ab infantia prophetias legentes de Christo, et in suis finibus natum non susceperunt; demum ut interrogati sacerdotes unde nascitur Christus, ad praeiudicium suum responderent de Bethlehem, quia qui Herodem docuerant de Christo, ipsi ignorabant de illo; et ideo post interrogationem et responsionem habitam subditur et ecce stella quam viderant in oriente, antecedebat eos, **ut considerantes obsequium stellae**, regis intelligerent dignitatem. Augustinus in Serm. de Epiph. …

**Catena in Mt., cap. 2 l. 4**
Augustinus in Serm. de Epiph. Et ut Christo **plenum redderet obsequium**, temperavit gradum, donec magos perduceret ad puerum. **Obsequium praebuit**, non imperium adduxit: supplices ostendit, hospitium radiavit amplissimo lumine, et tecta nati perfudit, sicque discessit; unde sequitur usque dum veniens staret supra ubi erat puer. Chrysostomus super Matth. …

**Catena in Mt., cap. 2 l. 5**
Glossa. Postquam **praemisit stellae obsequium**, subiungit Evangelista magorum gaudium dicens videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde. Remigius…

**Catena in Mt., cap. 8 l. 6**
Augustinus de quaest. Evang. Intelligitur enim miraculis motus, propter inanem iactantiam eum sequi voluisse, quam significant aves; finxisse autem **discipuli obsequium**, quae fictio vulpium nomine significata est. Rabanus. …

**Catena in Mt., cap. 10 l. 2**
Gregorius in Evang. Praesciebat namque nonnullos donum accepti spiritus in usum negotiationis inflectere, et miraculorum signa ad avaritiae **obsequium declinare**. Chrysostomus in Matth. …

**Catena in Mt., cap. 10 l. 15**
Hilarius in Matth. Vel praevidens plures futuros tantum apostolatus nomine gloriosos, omni vero vitae suae opere improbabiles, **obsequium** quod ipsis sub religionis opinione delatum est, mercede non fraudat: nam licet et ipsi minimi essent, idest peccatorum omnium ultimi, non inania tamen in eos, etiam levia, sub frigidae aquae nomine designata, officia esse decernit. Non enim peccatis hominis, sed discipuli nomini honor praestitus est.

**Catena in Mt., cap. 12 l. 15**
Hieronymus. Non ergo, iuxta Marcionem et Manichaeum, matrem negavit, ut natus de phantasmate putaretur, sed apostolos cognationi praetulit, ut et nos in comparatione dilectionis, carni spiritum praeferamus; nec **maternum refutat obsequium pietatis**, cuius praeceptum est: honora patrem tuum et matrem tuam, sed paternis se mysteriis vel affectibus amplius quam maternis debere demonstrat: unde sequitur et extendens manum in discipulos dixit: ecce mater mea et fratres mei. Gregorius in Evang. …

**Catena in Mt., cap. 23 l. 7**
Servare enim iustitiam, et facere misericordiam, et habere fidem propter suam gloriam Deus mandavit; decimas autem offerre propter utilitatem sacerdotum, ut sacerdotes quidem populo **in spiritualibus obsequantur**, populi autem in carnalibus sacerdotibus subministrent. Sic et modo fit, quia omnes de honore suo sunt solliciti, de honore autem Dei nulli; portiones etiam suas vigilanter defendunt, sed circa obsequium Ecclesiae curam impendere non attendunt. Si populus recte decimas non obtulerit, murmurant omnes; si peccantem populum viderint, nemo murmurat contra eos…

**Catena in Mt., cap. 26 l. 3**
Per quod aperte ostendit quod apostoli aliquid moleste locuti fuerant adversus eam. Pulchre autem subdit opus bonum operata est in me; ac si dicat: non est perditio unguenti, sicut vos dicitis; sed opus bonum, idest pietatis et **devotionis obsequium**. Chrysostomus in Matth. …

**Catena in Mc., cap. 3 l. 6**
Beda. Rogatus ergo officio verbi, dissimulat egredi, non **maternae refutans obsequium pietatis**; sed paternis se mysteriis amplius quam maternis debere monstrat affectibus. Nec iniuriose fratres contemnit, sed opus spirituale carnis cognationi praeferens, religiosiorem cordium copulam docet esse quam corporum; unde sequitur et circumspiciens eos qui in circuitu eius sedebant, ait: ecce mater mea, et fratres mei…

**Catena in Mc., cap. 9 l. 3**
Ieiunium autem generale est non solum ab escis, sed a cunctis illecebris abstinere carnalibus, immo ab omnibus vitiorum passionibus. Sic et oratio generalis non solum in verbis est quibus divinam clementiam invocamus, verum etiam in omnibus quae **in obsequium nostri conditoris fidei** devotione gerimus, teste apostolo, qui ait: sine intermissione orate. Hieronymus. …

**Catena in Lc., cap. 1 l. 12**
Mitem enim humilemque paritura, humilitatem debuit etiam ipsa praeferre: simul etiam ancillam se dicendo, nullam sibi praerogativam tantae gratiae vindicavit, quin faceret quod iuberetur: unde sequitur fiat mihi secundum verbum tuum. **Habes obsequium, vide votum**. Ecce ancilla domini, apparatus officii est; fiat mihi secundum verbum tuum, conceptus est voti. …

**Catena in Lc., cap. 2 l. 13**
Origenes in Lucam. Non autem miremur parentes vocatos, quorum alter ob partum, alter **ob obsequium**, patris et matris meruerunt vocabula. Beda.

**Catena in Lc., cap. 4 l. 2**
Titus. Habet autem forensis gratia domesticum periculum, et ut dominetur aliis prius servit; curvatur **ad obsequium** ut honore donetur; et dum vult esse sublimior, simulata humilitate fit vilior; unde subdit tu ergo si adoraveris coram me, erunt tibi omnia subdita. Cyrillus. …

**Catena in Lc., cap. 9 l. 12**
Volucres vero caeli frequenter ad nequitiae spiritualis similitudinem derivantur; et veluti nidos quosdam struunt in pectoribus improborum: et ideo dominante versutia in affectibus singulorum, nulla potest divinitatis esse possessio; ubi autem mentem probaverit innoxiam, supra ipsum quodammodo vim suae maiestatis reclinat, quia profusiore quadam gratia honorum pectoribus inseritur. Sic igitur non videtur convenire rationi ut simplicem fidelemque ipsum arbitremur qui domini dignatione respuitur, cum indefessi famulatus obsequium spopondisset. Sed dominus **non obsequiorum speciem**, sed puritatem quaerit affectus; nec **obsequium** eius admittitur cuius non probatur officium: circumspectum etenim fidei debet esse hospitium: ne dum infidelibus nostrae domus interna reseramus, in alienam perfidiam improvida credulitate labamur. …

**Catena in Lc., cap. 9 l. 12**
Sic igitur non videtur convenire rationi ut simplicem fidelemque ipsum arbitremur qui domini dignatione respuitur, cum indefessi famulatus obsequium spopondisset. Sed dominus **non obsequiorum speciem**, sed puritatem quaerit affectus; nec **obsequium** eius admittitur cuius non probatur officium: circumspectum etenim fidei debet esse hospitium: ne dum infidelibus nostrae domus interna reseramus, in alienam perfidiam improvida credulitate labamur. Itaque ut advertas Deum non cultus aspernantem esse, sed fraudis; qui repudiavit fraudulentum, elegit innocentem; sequitur enim ait autem ad alterum: sequere me. …

**Catena in Lc., cap. 22 l. 7**
Sicut enim qui pluribus ministrat vulneratis, et abstergit cuiuslibet vulneris saniem, non sumit ministerium in causam elationis; sic multo magis cui commissae sunt curae fraternorum languorum, ut omnium minister redditurus pro omnibus rationem, cogitare debet, et esse sollicitus; et sic qui maior est, fiat sicut minor. Decet autem et **corporale obsequium** ab his qui praesident offerri, exemplo domini lavantis pedes

discipulorum; unde sequitur et qui praecessor est, sicut ministrator. Non est autem timendum ne in subdito solvatur humilitatis propositum dum ei a maiori servitur, sed imitatione panditur humilitas. ...

**Catena in Io., cap. 11 l. 8**

Persecutores igitur peregerunt hoc quod perniciose moliti sunt; intulerunt mortem, ut ab eo abscinderent fidelium devotionem; sed fides inde crevit unde se hanc extinguere infidelium crudelitas credidit. Ille enim ad pietatis suae **obsequium** redegit quod contra illum humana crudelitas extorsit. Origenes. ...

**Catena in Io., cap. 12 l. 1**

Alcuinus. Significat se moriturum, et ad sepeliendum aromatibus esse ungendum; ideo Mariae, cui ad unctionem mortui corporis multum desideranti pervenire non liceret, donatum sit viventi adhuc impendere **obsequium**, quod post mortem celeri resurrectione praeventa nequiret. Chrysostomus. ...

**Catena in Io., cap. 16 l. 1**

Quod quia noluerunt, quid restabat nisi ut remanentes extra Christum, extra synagogam facerent eos qui non reliquerunt Christum? Deinde cum hoc eis dixisset, adiecit sed venit hora ut omnis qui interficit vos, **arbitretur obsequium se praestare Deo**. Quae verba ita subiecit tamquam ex hoc consolaretur eos qui de synagogis Iudaicis pellerentur ...Extra synagogam facient vos; sed nolite solitudinem formidare. Separati quippe a congregationibus eorum, tam multos in nomine meo congregabitis, ut illi metuentes ne templum quod erat apud eos, et omnia legis veteris sacramenta deserantur, sic interficient vos ut Deo **arbitrentur se praestare obsequium**, zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam. Hoc enim de Iudaeis dictum debemus accipere, de quibus dixerat: extra synagogam facient vos. ...Nam testes, idest martyres Christi, etiam si occisi sunt a gentilibus, non tamen illi arbitrati sunt Deo, **sed diis suis falsis obsequium se praestare**; Iudaeorum autem omnis qui occidit praedicatores Christi, Deo **se putavit praestare obsequium**, credens quod desererent Deum Israel quicumque converterentur ad Christum. Hinc ergo accensi et zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam, **obsequium se Deo praestare credentes**, occidebant eos. CHrysostomus...

**Catena in Io., cap. 16 l. 2**

Quia discipulos nondum perfectos tristitia impugnabat, eos dominus increpando dirigit, dicens et nunc vado ad eum qui me misit; et nemo ex vobis interrogat me: quo vadis? Audientes enim quoniam qui interficiet vos, **opinabitur se obsequium praestare Deo,** ita ceciderunt ut nihil ei loquerentur; et ideo subditur sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Non parva autem est haec mitigatio, scire eos quoniam sciverat dominus tristitiae eorum superabundantiam, et propter desertionem eius, et propter mala quae didicerant se passuros, et nesciebant si possent viriliter ferre. ...

**Super Io., cap. 1 l. 8**

Nam ante incarnationem Christi homines erant Angelis subiecti; postmodum vero, Christo subiecti ministraverunt, Matth. IV, 11: tunc accesserunt Angeli et ministrabant

ei. Tertio vero **__quantum ad naturae obsequium__**. Tota enim natura Christo obediens ei obsequebatur ad nutum, utpote ab ipso instituta, quia omnia per ipsum facta sunt: quod quidem nec Angelis, nec alicui alii creaturae concessum est, nisi soli verbo incarnato…

**__Super Io., cap. 1 l. 13__**

Quasi dicat: non intelligatis ipsum mihi in dignitate praepositum sicut unus homo praefertur alteri, sed tam excellenter, quod nihil sum in comparatione ad ipsum. Et hoc patet, quia non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti eius: quod est **__minimum obsequium__** quod hominibus fieri potest. Ex quo patet quod Ioannes multum accesserat ad Dei cognitionem, inquantum ex consideratione infinitae magnitudinis Dei se totaliter vilipendebat, et nihil se esse dicebat. …

**__Super Io., cap. 12 l. 1__**

Circa primum tria facit. Primo describit tempus; secundo locum, ibi venit Iesus in Bethaniam etc. **__tertio obsequium Christo exhibitum__**, ibi fecerunt autem ei coenam etc. Dicit ergo primo: dictum est, quod Christus ante festum Paschae abiit in regionem iuxta desertum, et quod imminente solemnitate paschali quaerebatur a Iudaeis. …

**__Super Io., cap. 12 l. 1__**

Ps. CX, 4: memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator dominus. Deinde cum dicit fecerunt autem ei coenam ibi, **__ponit obsequium Christo exhibitum__** a suis familiaribus, et primo in communi quantum ad omnes; secundo in speciali quantum ad singulos, ibi et Martha ministrabat. Convenit autem mysterio, quod ibi, idest in Bethania, fecerunt ei coenam, quia dominus in domo obedientiae spiritualiter reficitur, delectatus in obedientia nostra, secundum illud Apoc. III, 20: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum, et coenabo cum illo, et ipse mecum. …Circa cuius ministerium tria tanguntur, quantum ad litteram pertinet. Primo enim tangitur unguentum in quo obsecuta est; **__secundo obsequium quod exhibuit, ibi et unxit pedes Iesu__**; tertio effectum obsequii, ibi et domus impleta est ex odore unguenti. Circa primum tria tangit. … Et Mal. I, 14: maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens, offert domino debile. **__Circa obsequium eius__** primo nota humilitatem in hoc quod dicitur unxit pedes Iesu, ad pedes procidens, secundum illud Ps. c. CXXXI, 7: adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius. Secundo devotionem, quia extersit capillis suis, ut de seipsa quodammodo **__obsequium__** offerret. Rm VI, 13: exhibete membra vestra arma iustitiae Deo … Deinde ponuntur verba ipsius, ex quibus ostenditur quod de bono odore unguenti spiritualiter mortuus erat, secundum illud II Cor. II, 15: Christi bonus odor sumus: aliis odor mortis in mortem, aliis autem odor vitae in vitam. Displicebat enim ei quod unguentum non erat venditum, sed effusum **__in obsequium Christi__**: unde dicit quare hoc unguentum non veniit, idest venditum est, trecentis denariis? Sed sicut dicitur II Cor. XI, 15, ministri Satanae transfigurantur velut ministri iustitiae. …

**__Super Io., cap. 12 l. 2__**

Posito zelo proditoris **__propter obsequium mulieris__**, hic consequenter ponitur ipsius zeli repressio, et primo dominus repellit calumniam quam mulieri Iudas iniecerat; secundo excludit piam causam quam praetenderat, ibi pauperes enim semper

habebitis vobiscum etc. Dicit ergo sinite illam, idest, ne prohibeatis eam … Prov. III, 27: nolite prohibere eum qui bene facit: si vales et ipse benefac. Et subdit ut in diem sepulturae meae servet illud: ubi primo praenuntiat suam mortem imminere, **__et obsequium huius mulieris__**, quod parata fuit ei impendere in sepultura, nisi praeventa fuisset celeri Christi resurrectione: nam, ut in Marco legitur, Maria Magdalena cum aliis emit aromata, ut venientes ungerent Iesum. Ideo ergo dicit ut in diem sepulturae meae servet illud, scilicet non idem quod effusum fuit, sed simile in specie, vel in genere, vel etiam opere; quasi dicat: non prohibeatis eam facere mihi iam vivo quod non poterit facere mortuo: nam, ut dictum est, fuit celeri Christi resurrectione praeventa … Dicit ergo Iudae me autem non semper habebitis: quia indignum te fecisti ad hoc. Ut autem Chrysostomus dicit, in hoc dominus obiurgat Iudam: nam per hoc quod moleste tulit **__obsequium Christo impensum__**, videtur gravari de praesentia Christi: et ideo Christus dicit me autem non semper habebitis, quasi diceret: gravis sum tibi et onerosus; sed expecta parum, et abibo. Consequenter cum dicit cognovit ergo turba multa ex Iudaeis quia illic est etc. ostendit quomodo Iesus glorificatus est a turbis Iudaeorum, et primo quomodo a turbis Christum visitantibus; secundo quomodo a turbis ei obviantibus, ibi in crastinum autem etc. …

**__Super Io., cap. 13 l. 2__**
Postquam Evangelista commendavit Christi maiestatem hic commendat eius humilitatem, quam ostendit in pedum ablutione. Et primo praemittitur praeparatio Christi ad humilitatis obsequium; secundo describitur **__ipsum obsequium__**, ibi deinde misit aquam in pelvim etc. Circa primum sciendum est, quod **__Christus in humilitatis obsequio se ministrum exhibet__**, secundum illud Matth. XX, v. 28: filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis…

**__Super Io., cap. 13 l. 2__**
In passione etiam deposuit vestimenta nostrae mortalitatis, et assumpsit linteum, idest candorem immortalitatis; Rom. VI, 9: Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi ultra non dominabitur. Consequenter cum dicit deinde misit aquam in pelvim etc. ponit Christi obsequium: in quo commendatur eius humilitas quantum ad tria. Primo quidem quantum ad obsequii genus; quod fuit valde humile, ut dominus maiestatis se ad lavandum pedes servorum inclinaret….

**__Super Io., cap. 13 l. 3__**
Postquam **__dominus ostendit humilitatis obsequium__** esse necessarium hic consequenter inducit ad imitationem, et primo praemittit circumstantias admonitionis; secundo ipsam admonitionem proponit, ibi scitis quid fecerim vobis? Etc. … Alius ergo habitus competit ministro, alius doctori. Ministro autem, quia debet esse expeditus **__ad obsequium__**, competit ut vestium impedimenta deponat; et ideo Christus cum ministrare voluit, surgit a coena, et ponit vestimenta sua. Doctori autem, qui debet esse gravis, et auctoritate praeeminens, competit vestium decens ornatus: et ideo dominus docere volens, accepit vestimenta sua. … Ostendit ergo primo quomodo ea quae fiunt discipulis Christi, redundant in Christum. Et quantum ad hoc dicit amen, amen dico vobis; quasi diceret: vere, debetis lavare pedes, quia qui recipit si quem misero, me accipit, idest, **__obsequium__** quod exhibetur his quos ego mitto, mihi attribuo factum; Matth. X, 40: quis vos recipit, me recipit. Secundo ostendit quomodo

**obsequium Christo exhibitum** redundat in patrem, dicens qui autem me accipit, accipit eum qui me misit; supra V, 23: ut omnes honorificent filium sicut honorificant patrem. Secundum autem Origenem, potest intelligi dupliciter. ...

.**Super Io., cap. 16 l. 1**
Nam si Christum recepissent, eadem fuisset synagoga Iudaeorum et Ecclesia Christi; et qui converterentur ad Ecclesiam Christi, conversi ad synagogam Iudaeorum fuissent. Interfectionis autem: sed venit hora ut omnis qui interficit vos, **arbitretur obsequium se praestare Deo**. Haec quidem verba possunt accipi quasi in consolationem discipulorum dicta, ut ly sed accipiatur adversative, ut sit sensus: quasi consolari debetis ex hoc quod vobis facient, sed venit hora ut omnis qui interficit vos, **arbitretur obsequium se praestare Deo**. Sed qualis consolatio poterat eis esse, haec scilicet, ut omnis qui interficeret eos **arbitraretur se obsequium praestare Deo**? ......

**Super Io., cap. 16 l. 1**
Dicit autem **arbitretur obsequium se praestare Deo,** non diis, ut det intelligere hoc dici solum de persecutione Iudaeorum; Matth. XXIII, 34: ecce ego mitto ad vos sapientes et Scribas; et ex illis occidetis et crucifigetis. Nam martyres Christi occisi sunt a gentilibus, non tamen illi arbitrati sunt Deo **sed diis suis solum obsequium se praestare**. Ideo autem Iudaei, Christi praedicatores occidentes, putabant Deo **se praestare obsequium**, quia zelum Dei habebant, sed non secundum scientiam: credebant enim quod desereret Deum Israel quicumque converteretur ad Christum. De ista interfectione dicitur in Ps. XLIII, 22: propter te mortificamur tota die; aestimati sumus sicut oves occisionis. ...

**Super Io., cap. 16 l. 1**
Vel dicendum, secundum Chrysostomum, quod intelligendum est de tribulationibus. Et tunc quod dicit ab initio, dicit propter duo quae hic eis de novo praedixit: unum scilicet, quod essent passuri tribulationes a Iudaeis, quod eis ante non dixerat, sed solum a gentibus, ut patet Matth. X, 22; aliud, quod supra praedixit eis, quod flagella passuri essent, hic autem addit unum quod maxime poterat eos attonitos facere, scilicet quod mors eorum **reputaretur a Iudaeis obsequium**.

**Super Io., cap. 19 l. 4**
In quo signatur quod per crucem Christi subiugari debebant et converti devoti et religiosi, qui signantur per Hebraeam linguam; sapientes qui per Graecam; potentes, qui per Latinam. Vel per Hebraeam significabatur quod Christus dominari debebat theologicae philosophiae, quae significatur per Hebraeam, quia Iudaeis est tradita divinarum rerum cognitio; per Graecam vero philosophiae naturali et philosophicae: nam Graeci erga naturalium speculationem insudaverunt; per Latinam vero philosophiae practicae, quia apud Romanos maxime viguit scientia moralis: ut sic in captivitatem redigantur omnes intellectus **in obsequium Christi**, ut dicitur II Cor. X, 5. Conservatio autem tituli ponitur cum dicitur dicebant ergo Pilato pontifices Iudaeorum etc. ...

**Super Io., cap. 20 l. 1**

Et venit prior ad monumentum: quia prius consideravit mysteria Christi, et prius Iudaeis de Christo facta est promissio. Rom. IX, 4: quorum est adoptio filiorum et gloria et testamentum et legislatio et **obsequium et promissa;** quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem etc. Et cum se inclinasset, vidit linteamina posita, non tamen introivit. …

**Super I Cor., cap. 1 l. 3**

Ille in sapientia verbi docet qui sapientiam verbi accipit pro principali radice suae doctrinae, ita scilicet quod ea solum approbet, quae verbi sapientiam continent: reprobet autem ea quae sapientiam verbi non habent, et hoc fidei est corruptivum. Utitur autem sapientia verbi, qui suppositis verae fidei fundamentis, si qua vera in doctrinis philosophorum inveniat, **in obsequium fidei** assumit. Unde Augustinus dicit in secundo de doctrina Christiana, quod si qua philosophi dixerunt fidei nostrae accommoda, non solum formidanda non sunt, sed ab eis tamquam ab iniustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. …

**Super I Cor., cap. 1 l. 4**

Ex hoc enim quod Deus mundum suae fidei subiecit, non per sublimes in mundo, sive in saeculo, sed per abiectos, non potest gloriari homo quod per aliquam carnalem excellentiam salvatus sit mundus. Videretur autem non esse a Deo excellentia mundana, si Deus ea non uteretur **ad suum obsequium**. Et ideo in principio quidem paucos, postremo vero plures saeculariter excellentes Deus elegit ad praedicationis officium. …

**Super I Cor., cap. 3 l. 2**

Ea vero quae pertinent ad gloriam huius mundi facillime transeunt, unde stipulae comparantur; unde in Ps. LXXXII, 14 sequitur: pone illos ut rotam et ut stipulam ante faciem venti. Sic ergo superaedificare aurum, et argentum et lapides pretiosos, est superaedificare fidei fundamento ea quae pertinent ad contemplationem sapientiae divinorum, et amorem Dei, et devotionem sanctorum, **et obsequium proximorum**, et ad exercitium virtutum. Superaedificare vero lignum, foenum et stipulam, est superaddere fidei fundamento ea quae pertinent ad dispositionem humanarum rerum, et ad curam carnis, et ad exteriorem gloriam. …

**Super I Cor., cap. 4 l. 2**

Eccli. I, 29: usque ad tempus sustinebit patiens. Tertio tangit causam utriusque, cum dicit blasphemamur, id est, blasphemia imponuntur nobis, dum dicimur magi vel malefici, et reputamur Dei inimici, secundum illud Io. c. XVI, 2: venit hora, ut omnis qui interficit vos, **arbitretur obsequium se praestare Deo**; et Rom. III, 8: sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere, faciamus mala, ut veniant bona. Tamen, **obsecramus Deum pro his qui nos persequuntur** et blasphemant, secundum illud Matth. V, 44: orate pro persequentibus et calumniantibus vos. …

**Super I Cor., cap. 11, l. 1**

Secundo in subditorum sollicitudine. Unde dicebat Phil. II, 17: si immolor **supra sacrificium et obsequium fidei vestrae**, gaudeo et congratulor omnibus vobis, sicut

et Christus obtulit semetipsum pro nobis, ut dicitur Eph. V, 2. Tertio quantum ad passionis tolerantiam. …

**Super Gal., cap. 3, l. 3**
Et ideo primum in iustitia hominis est, quod mens hominis Deo subdatur, et hoc fit per fidem. **II Cor. X, 3: in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi**. Sic ergo dicendum est in omnibus, quod Deus est primum principium in iustitia, et qui Deo dat, scilicet summum quod in se est, mentem ei subdendo, perfecte est iustus. …

**Super Gal., cap. 3, l. 8**Secundo cum dicit si enim lex esset data, etc. solvit dubitationem. Et primo ostendit, quod lex non est contra promissa Dei; secundo quod est **in obsequium promissorum**, ibi sed conclusit, etc. Dicit ergo, quod licet lex sit posita propter transgressiones, non tamen contrariatur promissioni Dei, quia transgressiones ipsas removere non potest. …

**Super Gal., cap. 3, l. 8**
Sed lex non iustificat, quia littera, scilicet legis, occidit, ut dicitur II Cor. III, 6 et Rom. c. VIII, 2: lex enim spiritus vitae in Christo Iesu, etc. Deinde cum dicit sed Scriptura conclusit, etc. ostendit quod lex non solum non contrariatur gratiae, sed est **ei etiam in obsequium**. Et primo ostendit quod lex **obsequitur** promissis Dei; secundo quomodo **hoc obsequium** manifestatum est in Iudaeis, ibi prius autem quam veniret fides, etc. tertio quomodo gentiles etiam sine lege consecuti sunt promissa Dei, ibi omnes enim filii Dei estis, etc. Circa primum sciendum est, quod lex **obsequitur** promissis Dei in generali quantum ad duo …Et primo ponit **obsequium Iudaeorum**; secundo concludit quoddam corollarium, ibi itaque lex paedagogus, etc. Dicit ergo: si Scriptura, id est, lex scripta, detinuit omnia sub peccato, quas utilitates habebant Iudaei ex lege antequam veniret fides ex gratia? …

**Super Gal., cap. 3, l. 9**
Hic ostendit apostolus quod ad fructum gratiae gentiles **sine obsequio legis** pervenerunt, ad quem tamen Iudaei perducti sunt per legis custodiam et obsequium. Et circa hoc tria facit…

**Super Philip., cap. 1, l. 3**: In corpore nostro Christus dupliciter magnificatur. Uno modo in quantum corpus nostrum deputamus **ad obsequium eius, ministeria eius corporaliter exequendo.** I Cor. VI, v. 20: glorificate, et portate Deum in corpore vestro.

**Super Philip., cap. 2, l. 4**
Io. X, 11: bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis. Et hoc ut impleret, etc. quod vos personaliter non potuistis **circa meum obsequium.**

**Super Philip., cap. 4, l. 2**
Vel secundum quod est virtus animae, et sic omnis virtus est rationis. **Rom. XII, 1: rationabile obsequium vestrum**. Quandoque est ratiocinatio et computatio. …

**Super I Thes., cap. 2, l. 2**
Matth. X, 17: tradent vos in Conciliis, etc. Secundo ponit culpam in comparatione ad Deum, ibi Deo non placent, **licet crederent in hoc se obsequium praestare Deo** Io. XVI, 2. Sed quia zelum Dei habent non secundum scientiam, ideo Deo non placent, quia non faciunt recta fide, et sine fide impossibile est placere Deo, Hebr. XI, 6. …

**Super I Thes., cap. 5, l. 2**
Deinde cum dicit omnia autem probate, ostendit qualiter se habeant ad omnia, et unum est, quod in omnibus utantur discretione. **Rom. XII, 1: rationabile obsequium vestrum**. In hac materia debet esse diligens examinatio, boni electio, mali abiectio. …

**Super II Thes., cap. 1, l. 2**
Vel dicit super vos, id est, dominatur vobis subiicientibus intellectum vestrum humiliter ad credendum. II Cor. X, 5: in captivitatem redigentes omnem intellectum **in obsequium Christi.** Sic exponit Glossa. …

**Super I Tim., cap. 1, l. 4**
Item ex parte militiae duo requiruntur, scilicet ut expugnet contrarios reipublicae, et ut subiiciat eos qui debent esse subiecti. Sic et in militia spirituali est, quia ordinatur ad destruendum omnes extollentes se, et ad subiiciendum omnem intellectum **in obsequium Christi**, ut dicitur II Cor. X. Et haec vera militia, de qua dicit milites, etc. …

**Super I Tim., cap. 5, l. 3**
Quia Lev. c. II, 13: quicquid obtuleris sacrificii, sale, scilicet discretionis, condies. **Rom. XII, 1 : rationabile obsequium vestrum**. Et ideo dicit utere vino, sed modico. …

**Super II Tim., cap. 3, l. 3 :** Et tales persecutionem patientur, et maxime in primitiva Ecclesia, quando Christus undique impugnabatur a Iudaeis et gentibus. Et ideo **Io. XVI, 2**: venit hora ut omnis qui interficit vos, **arbitretur obsequium se praestare Deo**. Matth. XXIV, 9: eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. …

**Super II Tim., cap. 4, l. 2**\Sanctorum autem passio dicitur immolatio. Phil. II, 17: sed et si immolor super sacrificium, et **obsequium fidei vestrae gaudeo**. Ps. CXV, 17: tibi sacrificabo hostiam laudis, scilicet pro te patiendo. …

**Super Heb. [rep. vulgata], cap. 9, l. 3**
Item ille emundabat a tactu mortui, sed iste ab operibus mortuis, scilicet peccatis, quae tollunt Deum ab anima, cuius vita est per unionem charitatis. Item ille mundabat ut possent accedere ad figurale ministerium, sed sanguis Christi **ad spirituale obsequium** Dei. Ps. C, 6: ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.

**Super Heb. [rep. vulgata], cap. 12, l. 5**
Ps. LXXXIII, 12: gratiam et gloriam dabit dominus. Sequitur per quam serviamus placentes Deo cum metu et reverentia, ubi inducit **ad obsequium ut a nobis requisitum**. Dictat enim ratio naturalis, quod ei a quo multa beneficia recipimus, obligamur ad reverentiam et ad honorem exhibendum; ergo multo fortius Deo, qui

nobis maxima donavit, et infinita repromisit, et ideo dicit quod per istam gratiam, scilicet nobis datam et dandam, serviamus Deo placentes, cum metu et reverentia. ...

**Super Heb. [rep. vulgata], cap. 12, l. 5**
Ps. CXIV, 9: placebo domino in regione vivorum. Maxime autem servitur Deo **per obsequium interius**, Ps. L et Lc. I, 74 s. serviamus illi in sanctitate et iustitia. Deus autem propter creationem dicitur dominus; propter regenerationem vero pater. ...

**Super Rom., cap. 6, l. 3**
Nam et ideo iustum est ut qui vivit, iam non sibi vivat, sed ei qui pro omnibus mortuus est, II Cor. V, 15. Secundo, quantum ad exteriorem actum, unde dicit: exhibete membra vestra Deo, id est **ad eius obsequium**, arma iustitiae, id est instrumenta quaedam ad iustitiam exequendam, quibus scilicet pugnetis contra inimicos Dei. Eph. ult. induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli. ...

**Super Rom., cap. 8, l. 7**
Ita et sancti ex proposito et cum studio occidebantur. Io. XVI, 2: venit hora, ut omnis qui interficit vos, **arbitretur obsequium se praestare Deo**. Zac. XI, 4: pasce pecora occisionis, quae qui possidebant, occidebantur. ...

**Super Rom., cap. 9, l. 1**
Eccli. XXIV, 33: legem mandavit nobis Moyses. Tertium est cultus divinus, cum dicit et **obsequium**, quo scilicet Deo serviebant, omnibus aliis gentibus servientibus idolis. Is. XLIV, 1: et nunc audi, serve meus Iacob, et Israel quem elegi. ...

**Super Rom., cap. 10, l. 1**
Dicit ergo primo: ideo salutem eorum volo, et propter hoc oro, misertus eorum, quia testimonium perhibeo de illis quod aemulationem quidem Dei habent, scilicet quia zelo Dei Christum et eius membra persequuntur. **Io. XVI, 2:** veniet hora, in qua omnis qui interficit vos, **arbitretur obsequium se praestare** Deo. Et huius rei testis esse poterat, quia et ipse aliquando fuerat in simili causa…

**Super Rom., cap. 12, l. 1**
Secundo ponit admonitionem, cum dicit ut exhibeatis corpora vestra, etc. Circa quod sciendum est quod, sicut Augustinus dicit X de Civit. Dei, visibile sacrificium, quod exterius Deo offertur, signum est invisibilis sacrificii, quo quis se et sua **in Dei obsequium exhibet**. Habet autem homo triplex bonum…

**Super Rom., cap. 12, l. 1**
Uno quidem modo, quando aliquis corpus suum exponit passioni et morti propter Deum, sicut dicitur de Christo Eph. V, 2: tradidit semetipsum oblationem et hostiam Deo. Et apostolus dicit de se Phil. II, 17: si immolor supra sacrificium et **obsequium fidei vestrae**, gaudeo. Secundo per hoc quod homo corpus suum ieiuniis et vigiliis macerat ad serviendum Deo, secundum illud I Cor. IX, 27: castigo corpus meum, et in servitutem redigo…

**Super Rom., cap. 12, l. 1**

Unde dicitur Col. ult. in sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, sermo vester semper in gratia sit sale conditus. Unde et **hic sequitur rationabile obsequium vestrum**, scilicet cum discretione corpora vestra Deo exhibeatis hostiam, vel per martyrium vel per abstinentiam vel per quodcumque opus iustitiae. I Cor. XIV, 40: omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis…

**Super Rom., cap. 12, l. 2**
I Thes. ult. spiritum nolite extinguere. Tertio, **quantum ad exterius obsequium**, cum dicit domino servientes, scilicet servitute latriae, quae soli Deo debetur. Deut. VI, 13: dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies…

**Super Rom., cap. 14, l. 3**
Sed hoc est intelligendum, si recta fide approbet esse aliquid faciendum. Si autem falsa opinione approbat aliquid esse faciendum, **puta si arbitratur obsequium se praestare De**o, de eo quod discipulos Christi interficit, ut dicitur Io. XVI, 2, non excusatur ex eo quod circa hoc non iudicat semetipsum; imo beatior esset si circa hoc eum conscientia reprehenderet, inquantum per hoc a peccato magis prohiberetur. Sed in his quae sunt licita, est intelligendum quod hic apostolus dicit…

**Super Rom., cap. 15, l. 2**
Quarto ponit finem huius gratiae, cum dicit ut fiat oblatio gentium, id est, gentes per meum ministerium conversae. In quo quasi quoddam sacrificium et oblationem Deo obtuli, secundum illud Phil. II, 17: et **si immolor super sacrificium et obsequium fidei vestrae,** gaudeo et congratulor omnibus vobis. Fiat accepta, scilicet Deo per rectitudinem intentionis. …

†††

**De decem praeceptis, a. 1 c.**
Sed aliquando est bona intentio et bona voluntas, sed in intellectu quandoque aliquod peccatum habetur, et ideo totus intellectus dandus est Deo. Apostolus, **II Cor. X, 5: in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.** Multi enim in opere non peccant, sed tamen volunt ipsa peccata cogitare frequenter; contra quos dicitur Isai. I, 16: auferte malum cogitationum vestrarum…

**In orationem dominicam, a. 3 c**.
Vult ergo ut servemus mandata. **Rom. XII, 1: rationabile obsequium vestrum,** ib. 2: ut probetis quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta. Bona, quia utilis: Isai. XLVIII, 17: ego dominus docens te utilia…

†
†††
†

# ***Obsequium*** *in St. Ignatius*
## [As translated by U.S. Jesuits]]

## [Constitutiones Societatis Jesu][1]
## [The Constitutions of the Society of Jesus][2]

**Examen** [10 x]
[nn.1-133]

